

pter Christi merita, hæc enim alia consideratio est, nec tantum ex libertate, hæc enim non esset meriti retributio, sed ex proportione operis facti a persona grata illo speciali modo dignificata; nam eo ipso moraliter dignius est opus, ac subinde proportionatum ut ad majus præmium ordinetur. Quod potest intelligi de præmio tantum accidentali, et sic est facilius, vel de essentiali, et sic etiam est satis probabile, neque habet alicujus momenti difficultatem, ut statim dicam. Secundo, id explicari potest, etiamsi non concedatur augeri præmium ex hac circumstantia, sed multiplicari rationem conferendi idem præmium, nam hoc ipsum cedit in majorem aliquem honorem hominis recipientis præmium, et ex parte Dei, nostro modo intelligendi, auget benevolentiam et voluntatem remunerandi hominem justum, non tantum quia justus est, sed etiam quia membrum Christi est, et sicut opus ejus in gloriam Christi cessit, ita ejus remuneratio in ejusdem Christi gloriam redundat.

10. *Probatur deinde secunda opinio quoad posteriorem sensum.* — Superest explicanda et probanda altera pars, qua diximus augeri etiam posse justitiam nostrorum meritorum ex peculiari modo, quo nituntur in meritis Christi, quæ ad hunc etiam finem specialiter ordinata et applicata fuerunt. Probatur autem primo, quia, ut diximus, justitia nostrorum meritorum fundatur ex parte in divina promissione; hæc autem promissio ex meritis Christi facta nobis est; ergo, ex ea parte, nostra merita nituntur meritis Christi, et majorem quamdam justitiæ rationem ab illis participant; nam si promissio confert ad justitiam, si promissio ipsa non sit omnino gratis facta, sed ex justitia, major quidem justitiæ ratio in nostris meritis invenietur. Probatur ergo minor, tum ex Concilio Tridentino, sess. 6, c. 16, ubi dicit vitam æternam per Christum Jesum esse justis promissam, et tanquam gratiam misericorditer illis tribuendam, et tanquam mercedem bonis operibus reddendam; tum etiam quia illa promissio fuit magnum Dei beneficium gratuitum, omnia autem talia beneficia propter Christum hominibus collata sunt, juxta illud Pauli ad Ephes. 1: *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Hoc enim totum ejus meritis debebatur, et illo modo Dei misericordia et justitia magis ostenditur. Ac de-

nique illa promissio magis quodammodo ipsi Christo, et in gloriam ejus facta est, et ideo est facta sine ejus meritis, juxta illud Ps. 2: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Et illud Isai.: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

11. *Probatur secundo.* — Secundo, est similis ratio, quia non solum meruit nobis Christus promissionem antecedenter se habentem ad nostra merita, sed etiam acceptationem subsequentem nostro intelligendi modo, ut supra explicavi. Nam, licet illa acceptatio, supposita promissione, jam esset debita nostris operibus ex justitia, nihilominus etiam est debita Christi meritis, quæ ad hoc ipse obtulit et ordinavit, ut rigorosa etiam justitia in acceptatione nostrorum meritorum intercederet. Tertio, addere possumus etiam concurrere Christum ad nostra merita, offerendo illa Patri, ut ab illo non solum libentius acceptentur, sed etiam majori quodammodo obligatione acceptentur, nam illa Christi oblatio et auget rei oblatæ dignitatem seu acceptabilitatem, et licet, prout nunc fit a Christo in cælo, non habeat novum meritum, quatenus vero in præcedentibus Christi meritis nititur, rationem justitiæ in nostris meritis auget et perficit. Quod doctrinam sumere mihi videor ex Concilio Tridentino, sess. 14, capitulo 8, ubi, agens de nostra satisfactione, etiam ad merita sermonem extendit ac dicit: *Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo mere-mur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos penitentia, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.* Ubi Concilium aperte docet nostra merita et satisfactiones non solum inniti Christo, tanquam danti virtutem et gratiam per quam operamur, sed etiam ut danti nostris operibus specialem vim satisfaciendi et merendi, quatenus et in suis meritis nituntur, et ab illo offeruntur, et per ipsum acceptantur. Multum ergo favet Concilium huic doctrinæ, quæ profecto per se spectata valde consentanea est excellentiæ Christi et charitatis ejus erga homines, et abundantia ac perfectioni meritorum ejus, et inde non

minuuntur, sed perficiuntur nostra merita; non est ergo cur de veritate hujus doctrinæ dubitetur.

12. *Ad fundamentum primæ opinionis in num. 5.* — Magis autem hoc confirmabitur, respondendo ad fundamentum contrariæ sententiæ; quod erit facile ex dictis. Dicimus enim dilemma in ratione propositum (quia vel hæc dignitas accrescit ipsi gratiæ justificarum in Christo, vel immediate eorum operibus seu meritis) quoad utrumque verum esse, cum proportione applicatum. Ad improbationem autem prioris membri, responde-mus solum probare gratiam per Christum non esse in sua entitate meliorem, aut alterius rationis vel intensionis quam gratia similis sine Christo data. Non tamen probat eandem gratiam, propter respectum et unionem ad Christum, non fieri moraliter digniorem, et (ut ita dicam) chariorem, seu amabiliorem. Nam quod hæc moralis dignitas sine physico augmento possibilis in rebus humanis sit, est evidens, et idem fundamentum habet in divinis, ut variis exemplis ostensum est; quod vero in hac particulari materia intercedat, ex re ipsa et similitudine rationis ostensum est. Ad probationem vero alterius partis dilemmatis respondetur primo, eo ipso quod gratia membrorum Christi specialem dignitatem habet ex peculiari habitudine et conjunctione ad Christum, inde consequenter augeri operum ejus dignitatem aliquo ex modis supra declaratis. Neque oportet ut hoc augmentum sit in morali bonitate operis, sed in valore, vel proportione ad merendum; nam hæc duo distincta sunt, et ex diversis capitibus oriuntur, ut in Christo Domino videre licet. Et ad replicam, quod opus non sit meritorium, et consequenter nec magis meritorium ex favore extrinseco, responde-mus imprimis hoc augmentum, quod in gratia per Christum et operibus ab ea procedentibus consideratur, non esse ex favore extrinseco, sed ex conditione morali, quæ personam Christo spiritualiter conjunctam speciali modo ac titulo amabilem ac moraliter æstimabilem reddit, et consequenter etiam opus ejus. Unde non obstat quod talia opera non sint immediate a Christo, ut immediate elicente, et per seipsum operante, nam satis est quod sint immediate a membro Christi, per unionem ad ipsum speciali modo nobilitato. Deinde dicimus Christi merita, licet nobis sint extrinseca, et ut sic non augeant valorem nostrorum operum, nihilominus,

quatenus possunt habere suam causalitatem supra nostra merita, posse etiam efficere ut ex perfectiori justitia retributio illis debeatur, ut satis explicatum est.

13. *Ad confirmationem in eodem n. 5, circa finem.* — Unde ad confirmationem, quia inde sequeretur inveniri in nostris meritis omnes perfectiones, quæ in propriis ejusdem Christi meritis inventæ sunt, negatur sequela, quia si consideretur dignitas proveniens justis ex conjunctione ad Christum, semper est inferioris rationis, sicut dignitas matris Dei magna quidem est, sed longe inferior quam sit dignitas Filii Dei. Et in universum ex participatione perfectionis non potest inferri æqualitas. Sic enim, licet filius regis dignitatem ejus participet, ex eo præcise quod filius ejus est, non tamen ad æqualitatem in dignitate ascendit, unde, licet filius diligatur et honoretur propter patrem, non oportet ut æque diligatur seu honoretur ac pater. Et similiter, licet homo participet perfectionem Dei, non sequitur quod possit ad illam pertingere. Proprietates ergo et perfectiones singulares meriti personæ Christi ex eo præcise oriuntur, quod persona proxime operans erat simpliciter infinitæ excellentiæ, et ideo, sicut justis Christo conjuncti nunquam perveniunt ad illam personalem dignitatem, licet aliqualem ex tali conjunctione participant, non sequitur posse in suis meritis habere æqualem perfectionem, neque illatio est alicujus momenti. Multoque minus sequitur illud inconveniens, considerando influxum meritorum Christi in nostra merita quasi immediatum in suo genere, quia Christum non ordinavit sua merita, ut nostra merita suis essent æqualia, neque ut de justitia pro aliis quam pro operantibus acceptarentur, aut aliquid simile. Et quamvis Christus consideretur ut offerens nobiscum nostra merita, ut Concilium dixit, non ideo habebunt inde infinitatem meriti, non solum quia Christus nunc non est in statu merendi, sed maxime quia nostra merita nunquam sunt propria actio Christi, sed potius ad illum comparantur ut res oblata, et ideo non habent ab illo infinitatem meriti, seu valoris, licet in ordine ad acceptationem aliquam majorem efficaciam accipiant. Quæ omnia optime declarantur exemplo orationis, quæ, a nobis facta propter Christum, efficacior est, magisque acceptabilis apud Deum, nunquam tamen potest orationi factæ ab ipso Christo in eisdem proprietatibus adæ-quari.

14. *Expenduntur dicta quorundam auctorum secundæ opinionis.* — Atque ex his iudicium ferendum est de aliquibus propositionibus, seu modis loquendi auctorum supra allegatorum, præsertim Cajetani et Hosii, quos aliqui reprehendunt, et alii benigne interpretantur. Unus est, in quo modus ille loquendi Pauli ad Galat. 2 : *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*, accommodatur ad meritum justis; nam ut Cajetanus ait, in simili forma dicere potest justus : *Mereor ego, jam non ego, sed meretur in me Christus*. In quo loquendi modo non est magna difficultas in illa negatione, *jam non ego*, nam cum præcedat affirmatio, *mereor ego*, clarum est alteram partem negantem non sumi in sensu contradictorio, ac proinde non negari absolute quod justus mereatur, sed quod non solus sine Christo, vel quod non sua principali virtute mereatur; sicut in alia propositione Pauli, cum dicit, *jam non ego*, non negat se vivere; sed si prior affirmatio, *vivo ego*, de vita corporali intelligatur, in sequenti negatione significat non esse illam præcipuam vitam, qua vivit, nec quæ nomen vitæ, spirituali modo loquendo, simpliciter mereatur, sed aliam qua per Christum vivit. Si autem prima affirmatio de spirituali vita intelligatur, per negationem significat illam vitam non esse a se, et magis esse Christi quam suam. Sicut etiam dixit Christus, Matthæi 10 : *Dabitur vobis quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*: ubi non negat discipulos esse qui loquuntur, ut constat, et præcedens promissio : *Dabitur enim vobis quid loquamini*, satis ostendit; sed negat eos futuros esse principales auctores sui sermonis, sed spiritum Dei, qui per eos loquebatur. Estque simillima illa locutio Pauli, primo Corinth. 15 : *Abundantius omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum*; ubi dicens *non ego*, non negat quod affirmaverat, se laborasse, sed negat fructum laboris sui, vel efficaciam et sanctitatem operis sui fuisse ab ipso, sed a gratia. In hac ergo parte non est quod scrupulose dubitetur, dummodo pars illa negans non simpliciter proferatur, dicendo, verbi gratia : *Non mereor ego*, quia sic in rigore sensum erroneum habet, quem corrigit et tollit affirmatio : *Mereor ego*, et ideo conjungi debet sive antecedenter, ut : *Mereor ego, sed non ego*, vel consequenter, ut : *Non ego, sed gratia Dei mecum*.

15. *Contra posteriorem partem arguitur.* —

Alteram vero partem affirmans, *Meretur in me Christus*, obscurior videri potest, quia Christus nunc non meretur, quia non est in statu merendi; ergo nec meretur in me. Unde hæc est differentia inter propositionem Pauli : *Vivit in me Christus*, quia per verbum vivendi tribuitur aliquid Christo, quod simpliciter illi convenit. Et idem est de his locutionibus : Christus operatur in me, sicut Deus dicitur operari omnia in omnibus; vel : Christus loquitur in nobis, sicut Paulus 2 Corinth. 13, dicit : *An experimentum queritis ejus qui in me loquitur, Christus?* Nam operari et loqui actiones sunt, quæ possunt simpliciter Christo nunc attribui; at vero mereri non potest simpliciter attribui Christo, et ideo nec videtur dici posse : *Meretur in me Christus*. Quam differentiam notavit Soto, lib. 3 de Natur. et grat., cap. 8, inter illa verba, loqui, seu operari, et mereri; nam recte dicitur Deus, vel Spiritus Sanctus loqui aut operari in me, non tamen sic dicitur mereri in me, quia loqui aut operari non involvunt imperfectionem Deo repugnantem; mereri autem illam includit, quia dicit actionem subditi, seu inferioris. Idem autem videtur esse de Christo extra statum merendi constituto. Et confirmatur, quia per illum modum loquendi significari videtur nos tantum mereri, quatenus meritum Christi nobis imputatur, quod accedit ad errorem hæreticorum hujus temporis, et ideo cavendum videtur.

16. *Exponitur tamen et admittitur in sensu metapharico.* — *Ad confirmationem.* — Hæc tamen ita obijciuntur, ac si locutio illa in sensu proprio et rigoroso, et non in metapharico usurpetur. Quod est contra mentem dictorum auctorum, et contra vim verborum, secundum usitatum loquendi morem. Nam dicti auctores illam locutionem explicant per alias in Scriptura frequentes, in quibus passiones vel actiones corporis tribuuntur capiti, et e converso, juxta vulgatam regulam Ficonii, ut Actor. 9 : *Saule, Saule, quid me persequeris?* At vero in illo sensu metapharico non significatur Christum in propria persona mereri, sed in membris suis; sic autem non repugnat Christo mereri, quia sic Christus non est omnino extra statum merendi, quia, licet in persona sua sit extra statum, non secundum omnia membra sua. Sicut etiam de illo nunc dici potest, persecutiones, passiones, ac tormenta nunc pati. Deinde in hujusmodi locutione alia metaphora considerari potest etiam valde usitata,

in qua nimirum propositio, quæ solum in sensu causali vera est, in formali simpliciter profertur; est optimum exemplum in illa sententia Pauli : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, qui secundum Deum postulat pro Sanctis*. Ubi Spiritus dicitur postulare et desiderare, quia desiderare et postulare nos facit. Et secundum eandem metaphoram optime intelligitur illa sententia Pauli : *Vivit in me Christus*, quia ipse me vivificat, et ego vivo vita ipsius, non quam formaliter in se habet, sed quam in me facit; ergo eadem metaphora optime dicitur Christus in me mereri, non formaliter, sed causaliter. Et ad hunc sensum parum etiam refert quod Christus sit extra statum merendi, quia in illo statu potest in me efficere principaliter meum meritum. Et in eodem sensu non est cur Deo illa propositio negetur, quia si Spiritus Sanctus dicitur orare in Sanctis, vel postulare pro nobis, cur non dicitur etiam mereri in nobis? non enim minus dicit subjectionem vel submissionem orare quam mereri. Unde ad confirmationem non video cur per illam propositionem : *Meretur in me Christus*, significetur meritum nostrum solum consistere in imputatione meritorum Christi, magis quam per illam : *Vivit in me Christus*, denotetur nos vivere (utique spiritualiter) per solam imputationem vitæ, seu gratiæ Christi. Adde vero, sicut in priori parte illius sententiæ dixi, hanc dimidiatam sententiam per se prolatam : *Meretur in me Christus*, suspicionem illam posse inducere et ideo vitandam esse, conjunctam vero præcedentibus : *Mereor ego, jam non ego*, omnem cessare suspicionem, quia sensus metapharicus patentissimus est. Nam illa prima affirmatio : *Mereor ego*, excludit hæreticorum errorem, et negatio subjuncta declarat me non ita mereri, ut sim principalis auctor mei meriti, et consequenter illamet conjunctio adversativa, quæ subjungitur, dicendo : *Sed meretur in me Christus*, declarat id solum attribui Christo, tanquam principali causa mei meriti.

17. *Alia propositio probabile, sed non necessaria ad institutum.* — Adverto autem propositionem illam, cum in his tantum sensibus metapharicis vera sit, non multum conferre ad probandum vel declarandum specialem effectum, vel dignitatem, quam nostra merita habeant ex meritis Christi, ut speciali modo ad valorem vel justitiam nostrorum

meritorum applicatis. Addit vero Cajetanus aliam notandam propositionem, quæ ad hoc declarandum videtur excogitata. Eamque proponit constituendo differentiam inter parvulos, et adultos qui in gratia moriuntur, nam parvulis datur gloria ex solis meritis, quæ Christus in propria persona, et in hac vita mortali habuit; adultis vero datur duobus titulis, scilicet, et propter eadem merita Christi in propria persona et vita mortali, et propter meritum, quod nunc Christus, ut caput, in adulto et per adultum meretur. Quod etiam confirmat exemplo Christi, qui (ut ait) habuit suam gloriam, et titulo unionis personalis, et propter meritum obedientiæ; unde nos conformiores illi erimus, si duplici etiam titulo gloriam habeamus. Atque hæc quidem sententia probabilis est, non tamen videtur necessaria, nisi modo superius posito explicata. Non enim videtur necessarium ut corona gloriæ detur adultis illam merentibus, propter meritum Christi, et proprium, tanquam propter duas causas proximas et immediatas, sicut datur gratia et gloria parvulis propter meritum Christi, tanquam propter causam proximam, et quasi particularem, quia non est necessarium multiplicare hujusmodi causas circa eundem effectum, et quia non est promissa beatitudo adultis propter Christi meritum, quasi propter causam totalem et integram, ut condistinctum a merito ipsius adulti. At vero si meritum consideretur per modum causæ universalis, influens cum meritis nostris, eo quod ipse Christus meruit ut nostra merita acceptarentur ad præmium propter eadem sua merita illis promissum, sic recte intelligitur gloriam dari adultis, non tantum propter meritum proprium, sed etiam propter meritum Christi diversa ratione spectatum.

## CAPUT XX.

UNDE HABEANT OPERA JUSTORUM UT MAGIS MERITORIA SINT?

1. *Merita justorum inæqualia posse esse supponitur.* — Suppono, quod per se notum videtur, et de fide certum est, merita justorum esse inæqualia, non solum in diversis justis, sed etiam in eodem. De diversis id satis probatum est supra lib. 9, ubi ostendimus gratiam, vel primam, vel secundam, et consequenter etiam gloriam, esse in diversis justis inæqualem. Eadem enim ratio